

Anno M. 662. *Enoch* pietate inter suos excelluit, & spiritu prophético de futuro iudicio vaticinatus, vivus in cœlum translatus fuit.

*Mathusalem* omnium hominum antiquissimus, superfuit ad annum usque ætatis 687. 969.

875. *Lamech*, vixit annos 777.

1057 *Noah* vixit ante, & post diluvium: inde *Ianus bifrons* à Poëtis dictus:

*Ante diluvium* corruptissimi erant hominum mores, nec quicquam integrum, etiam in Dei filiis. Impietas *Ecclesiam*, tyrannis *Politiam*, libido *familias* vastabat. His rebus offensus Dominus inundatione aquarum genus humanum delere statuit. Sed *Noachum*, virum justum, pro miseratione sua, destinato exemit exitio, qui admonitus à Deo arcam immensæ magnitudinis ex lignis construxit: in ea tum ipse cum familia sua, tum animantium volucrumque paria singula servata sunt in spem instaurationis. Reliquum genus omne viventium aquis obrutum ac deletum fuit.

Post diluvium cum Noacho quindecim recensentur.

1657. *Noachus* ab Adamo alter Parens generis humani, exsiccatâ ab aquis terrâ, cum suis mandato Dei ex arca egreditur & mox Servatori suo σωτήρια sacrificat, qui delectatus pietate, naturæ leges instaurat: solatur reliquos benedictione sua: societatem humanam novis legibus munit, ac metum diluvii certo fœdere in perpetuum adimit.

*Noah*